



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput V. De Pace & quiete prædicti prioris, & quòd idcircò operæ,
quantùm potuit, se suòque subtraxit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

nosces, quid sanctus David aliquando fecerit, qui cum aqua, quam tres in populo fortiores de cisterna Bethlehemitica sub grandi periculo sibi apportaverant, sitim suam extinguere non consensit. Circa præfatum Fratrem Hermannum & aliud satis mirabile contingebat: quodam namque tempore incautè super quoddam præfati Monasterij transiens ædificium, de superioribus supra lignorum struem horribilem lapsum fecit, & Dominus DEUS famulum suum per intercessionem B. MEINULPHI, cujus Monasterij Conreformer extitit, protegens & conservans fuit, ut nullum læsionis signum ex prædicto ejus repentino lapsu in eo repertum sit; nec ipse aliquam sensit læsionem, sed surgens ad pristina & consueta sua opera lætus rediit peragenda.

C A P U T V.

De Pace & quiete prædicti Prioris, & quòd idcirco opera, quantum potuit, se suosque subtraxit.

INtereà prænominatus Prior vir pacis fuerat singularis; semper enim ejus verba modesta erant, & pacem resonantia, & si quempiam de sibi subjectis in aliquam mentis disturbance ruisse novisset, noctis sopori penitus se non dedisset, nisi turbatus subiectus pacem cordis recepisset. Et sicut idem Prior semper pacificus erat, ita & moribus satis compositus fuit, ac quietus; nam Fratribus suis dicere solitus erat in hæc verba: *Fratres propter exercenda agriculturæ opera non venimus in hunc locum, sed ut destructum Monasterium reformantes Divinum Cultum augeamus*; ad hoc enim magis erat inclinatus, ut unusquisque panem suum in quiete cellæ operaretur, quàm in tumultibus fori ad virtuosæ vitæ periculum se quovis modo exponeret, ob quam causam agriculturæ opus, quod distractionis materiam afferre solet, difficile sibi ad peragendum fuit, & nisi necessitate compellus, illud à suis exerceri non permisisset; Cùm enim agriculturæ operi insisteretur per suos, summè cavebat Prior, ne decimalis terra vomere scinderetur, noluit enim alienos Fratrum sudoribus se quoquo modò quæsturare; propter quod etiam quosdam agros decimales (licet eorum proprietas Monasterio suo maneret) sylvescere con-

C

sensit

fenſit & permiſit. Denique in tantum quieti deditus erat , ut ſtrepituoſam actionem , & præcipuè vocum clamores multum abhorretet , ita ut infra Monafterij ſepta carpentariorum , fabrorum , & ſimilium , quorum opera cum ſilentio peragi minimè potuerunt , ſolummodò ſonus audiretur. In tantum etiam idem Prior moribus fuit adornatus , formæque decorus , ut ſi quis ignotus ad interficiendum eum , vel aliter nocendum , juramenti votum emiſiſſet , puto nihil ei nocuiſſet , ſi ſaltem ante illatum malum vultum ejus conſideraſſet.

C A P U T VI.

Quomodo præſatus Prior DEUM timuerit.

Fuit etiam præmemoratus Prior homo timens DEUM , in ipſum confidens , quod in ſequentibus clarè patet. Nam ex eo , quòd in temporalibus bonis multum defecit , non habens , unde Divinum opus bono moderamine complere poſſet , putavit , quòd diebus celebribus , maximè tempore meſſis in ſubſidium ſui reformandi Monafterij aliquantulum poſſet extrinſecus laborare , & idcirco multum de fæno celebribus diebus ex campis Monafterio ſuo cum curribus adduci fecit , & in congeriem magnam ſub diò propè turrim poni. Pius autem Dominus , qui diem Feſtum celebrandum inſtituit , devoto ſuo Vicario , quantum in mandati ſui transgreſſu deliquerit , evidenti ſignò declaravit ; unus namque de Clericis ſuis nomine Remboldus ſuper acervum prædicti fæni in ſublimi ad componendum ſtabat , & minùs cautè ſtandò ſe cuſtodians horribilem caſum ad terram fecit , cùmque ab omnibus , qui huic ſpectaculo præſentes erant , de vita illius deſperatum fuit , oratione à Priore prædicto humiliter ad DEUM fuſa , ſtatim is , qui mortuus putabatur , ſurgens ad priſtina ſua opera ſanus eſt regreſſus ; Acervus verò prædicti fæni , quia diebus ſacris vehendus collectus fuit , ab intùs putreſcere cæpit , & ad nihilum eſt redactus. Duobus hiſce narratis , videlicet , quia mortuus revixit , & fæna perièrunt , Prior ſe culpabilem cognoscens dies celebres à ſuis ſubditis majori diligentia inſtituit obſervari. Quod & ita factum eſt. Et quòd idem Prior in Dominum DEUM confidens fuerit , hæc , quæ ſequuntur , declarant. Quadam vice , dum ipſe